

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4151

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1545

P O L E M I C I.

1546

di munus auspicaretur, in illud: *Meum est consilium et equitas, mea prudentia &c. Prov. c. 8. Initium: Summa atque imperscrutabilis altissimi prudentia creatoris &c.* Opportuna sunt, quae Juventuti adhibet, praecepta, sed ea pro aevi gustu adcumulatis autorum sacrorum profanorumque testimoniis obscurantur potius, quam illustrentur. Nullum cetera vestigium, quod aut ad auctoris, aut loci notitiam deducat.

XVII. fol. 278. *Questio de varijs casibus qui possent occurrere celebrantibus, et in his quomodo celebrantes se habeant.* Additur ex latere: *M. Urbani Mellicensis.* Initium: *Quia in missa sacerdotibus celebrantibus varii casus solent occurrere, Ideo queritur, Vtrum his casibus et defectibus qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt, sufficienter possit occurrere, observando statuta ecclesiae &c.* Casus hic propositi resolvuntur ferme ab omnibus, qui aevo posteriore de universa Morum Theologia scripsere. Rubrica ad calcem: *Explicit hec Venerabilis Magistri Urbani de Mellico Sacre Theologie Professoris.* Virum hunc annis 1427. et 1434. Academiae Vindob. cum potestate Rectoris praefuisse tradit Georg. Ederus in *Catal.* Inter *Scriptores Univ. Vindob.* refertur P. I. p. 108. neque tamen ibi Opusculi nostri, sed tantum *Disputationis Ethicorum,* et *Tractatus in IV. Libb. Sentent.* fit mentio.

XIX. fol. 281. Codicem absolvunt *Anonymi Sermones III. prima tria Decalogi Praecepta exponentes,* quorum primus incipit: *Cogitatum habe in preceptis dei et in mandatis eius maxime assiduus esto. Ita scribit sapiens &c.* Hoc Sermone longus Superstitionum illius aetatis textitur index.

CCCCXV.

Codex partim membraneus, ²⁰⁰ partim chartaceus, lat. germ. Sec. XV. Folior. 243. f. a diversis per duas columnas exaratus frequentia Opuscula complectitur: I. absque titulo *Tractatum contra IV. Articulos Hussitarum,* qui incipit: *Iussit reuerendissima vestra paternitas ac metuendissima Dominatio &c.* et jam pluries indicatus est, autore *Petro de Pulka.*

II. fol. 47. Ejusdem, ut videtur, *Adlocutio Synodalis,* hoc initio: *Patres Reuerendi nos ad contenciones non sumus congregati &c.* Etiam haec jam producta fuit *Cod. CCCCXII.*

III. fol. 51. absque titulo: *Johannis Hoffman de Smydnitz Tractatus eruditus contra Communionem Laicorum sub utraque Specie.* Incipit: *Debemus nos invicem diligere. ita scribitur Prima Johannis 4º originaliter et legitur transsumptive in currentis dominice missali officio exemplariter. Reuerendi Patres ac fratres in christo dilectissimi, ceterique Domini preclarissimi*

Y 2

1547

C O D I C E S

1548

preclarissimi &c. Ex hac apostrophe videri posset voce prolatus pro concione, nisi prolixitas vetaret. Compositum fuisse post Concilium *Constant.* cui *Johannes* interfuit, ex ejus Decretorum citatione liquet. Ad calcem legitur: *Explicit tractatus bonus contra dicentes communicationem laycam licite fieri sub utraque specie panis et vini Opponentibus se uniuersali matri Sancte Ecclesie et sanctis doctoribus ab eadem receptis et approbatis Finitus die sabbati ante festum sancti Jacobi apostoli Anno domini Millesimo CCC^{mo} vicesimo primo Collectus per venerabilem doctorem Magistrum Johannem Hoffman de Szwynitz sacre Theologie professorem. De viro hoc primum Pragensi, dein Lipsiensi Theologo, demum Episcopo Misnensi, et an. 1451. defuncto, ejusque Scriptis agunt Balbin. *Bob. docta* P. II. p. 379. Hanckius *Siles. erudit.* c. 24. Calles in *Episc. Misnen.* p. 283. Fabric. *Bibl. L.* 9. qui Tractatum nostrum impressum vult *Venetis* 1571. Supposititium non esse, ut quibusdam videbatur, vel *Subscriptio* nostra evincat.*

IV. fol. 147. sine titulo: *Henrici de Frimaria* f. *Vrimaria* O. Erem. S. Aug. *Praeceptorium* sive Tractatus de X. Praeceptis Decalogi. Incipit: *Audi israhel precepta domini. et ea in corde tuo quasi in libro scribe. et dabo tibi terram fluentem mel et lac. Isthis verbis propositis spiritus sanctus &c.* Ad calcem prolixam habet *Tabulam* sic minio subscriptam:

Explicit tabula tractatus Decalogi Reuerendi Magistri Henrici de Hassia compilacionis. Sed manus non multo recentior vocem *Hassia* transfixit, et addidit: *Salua caritate et honestate Rubrice superscripte tractatus de. X. preceptis compilatus est per reverendum magistrum Henricum de frymaria sacre Theologie professorem de prouincia saxonie et Thuringie ordinis heremitarum sancti Augustini qui multis annis precessit Reuerendum magistrum de hassia.* Duos Codd. *Cremifanensem* et *Mellicensensem* adfert *Bern. Pezium* in *Dis. isag.* ad T. I. *Tbes. Anecd.* p. 77. qui pro *Hasso* pronunciant, sed *Tirnsteinensis*, quem adfert, item *Quedlinburg. Lipsiens. Wigorn.* et *Bodlejanus*, quos citat *Ossingerus* in *Bibl. Augustin.* p. 953. *Frimarium* autorem ajunt, quibus adde *Tritheimium*, qui n. 589. ipsum Tractatum nostri initium: *Audi Israel precepta &c.* consignavit. *Annus emortualis Frimario* statuitur 1340. cum *Hassus* 1397. demum obierit. Sed non hic tantum litem illi de *Praeceptorio* movet; editum enim est saepius *Sec. XV.* sub nomine *Nicolai de Lyra*, et primo quidem *f. l. et a.* in 8. et *Coloniae* 1477. in 8. Quin et aliud extat *Praeceptorium Job. Nideri* O. P. jam an. 1475. *Augustae* f. impressum; sed id incipit: *Decalogi legem sacratissimam &c.*

V. fol. 172. p. 2. Incipit *epistola de contractibus empconis et vendicionis ad consules wienn. diuisa*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4151

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1549

P O L E M I C I.

1550

uisa in tres partes, Quarum prima est hortatoria ad equitatem et diuine religionis celebritatem, Secunda est particulariter instructoria de Iustitia contractuum empcionis et vendicionis et de pertinentibus ad amplitudinem diuini cultus ex eisdem. Tercia est excusatoria et ad implendum promissa inductoria. Secunda Pars rursus in XVI. Capita vel XXVI. Documenta diuiditur. Initium est: Honorabilibus magne discretionis uiris magistro ciuium ceterisque consulibus opidi Wienn. prouide salutis sue et tocius reipublice curam gerentibus salutarem. Quidam de professoribus sacre Theologie minimus ibidem regens &c. Respondetur ad Quaesita Facultati Theologicae a Consulibus proposita, quid pro foro, ut ajunt, interno licitum fit, circa venditionem et redemptionem censuum, quae iure provinciali Austriae tunc uigebat. Ultima sunt: donec propiciante deo attingatis terminum salutis sempiternae. Amen. Subjectum est notum Epitaphium Autoris, et: Explicit tractatus de contractibus Reuerendi Magistri henrici de basfia ad ciues Wienn. Alius est hic Tractatus ab eo, quem Cod.

CCXLI. indicavimus. Nostri meminit Pezius *Dis. isag.* T. I. *Tbes. Anecd.* p. 79. ex Cod. Gemnicensi, et Lambecius L. II. p. 125. ex alio Caesareo.

VI. fol. 185. p. 2. Narratio germanica de tempore, loco et argumento *Articulorum XI.* ab *Hussitis Pragae* an. 1429. constitutorum, interjectis *Catholici* cujusdam observationibus latinis. Initium: *Des Fars nach Crist gepurd &c. In dem newn vnd zwainczigisten Jare an dem mantag an der beilligen driualtikeit tag vnd die selben acht tag nacheinander ist gewesen ein grosse samung von Herren Rittern vnd knechten steten vnd gemainen, Die zu der Ee, dicitur verius Die von der gottes Ee abgetreten sein &c. Meminit hujus Convocationis ex Job. de Lukawetz Historico Thaborita Job. Cochlaeus *Hist. Hussit.* L. VI. p. 232. Articulus XI. sic sonat: *wenn wir zu felde ziben das wir ein messige notturfft nemen vnd das selb auch dem frid nit schaden sol vnd daz wir pey vnsern poten ein antwort geben mit des kuniges poten. Huic observator cum Aesopo accinit:**

*Pacis amatorem simulat se perfidus hostis
Conscius ut uolnus exitiale ferat.*

Adtextae sunt alia manu Notae quaedam Chronologicae a mundo condito, quarum postrema: *Circa annum domini 737. bildericus rex francie depositus a regno trusus est ad Monasterium sancti Eme-*

ranni in Ratisbona. Anno dein 770. karolus magnus regnauit qui per aliquem anglicum (Alcuinum) studium de Roma transtulit parisius. Autores artis de verifier les Dates edit. 1770. p. 534. Childerici

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4151

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1551

C O D I C E S

1552

derici III. exautorationem adfignant anno 752. et detentionem Monasterio de Sithiu hodie S. Bertini Audomarensis.

VII. fol. 189. sine titulo, sed ut praeuius habet Indiculus: *Tractatus de celebratione missarum super capitulum: Cum Martbe, m. Bernardi Oliuerij.* Incipit: *Dedit in celebracionibus decus et ornauit tempora usque ad consumacionem vite. Eccl. 47. Diuina sapientia que per sacrificia colitur, per sacramenta percipitur &c. Finit: sed sua magna misericordia conferendo eis uitam eternam ad quam nos perducat &c. Explicit expositio super decretali de Canone misse seu de celebratione missarum.* Meminit hujus Opuſculi *Oſſingerus* in vita Autoris, qui ex Ord. *Erem. S. Aug.* ad varios *Hispaniae* Episcopatus adſumtus in *Dertonensi* diem obiit 1348. Vide *Biblioth. Auguſt.* p. 642.

VIII. fol. 202. sine titulo, sed ex *Indiculo* Codici praefixo: *Punctus notabilis de Uſuris Magiſtri Gerardi de Senis.* Incipit: *Eſt ergo primo videndum quid ſit uſura. 2º in quibus rebus uſura committitur &c. Et finit: Apparet ergo ex omnibus hijs. quem ordinem debeat ſeruare uſurarius in reſtituendo &c. Gerardus de ſenis.* Ex majori Opere *Punctum* hunc decerptum putem; adfert enim *Oſſingerus* ſupracit. p. 828. tria diuerſa *Gerardi Senenſis* de hac materia Scripta, quorum Duo typis excuſa in *Italia* Autoris patria, qui et ipſe de *Eremita-*

rum familia *Parisiſ* et *Bononiae* in cathedra ſcholastica uſque ad an. 1336. inclaruit.

IX. fol. 204. absque titulo, *Epistolae* de laudibus et miraculis *Hieronymi ſuppoſitae Auguſtino* et *Cyrillo Hieroſol.* Prior incipit: *glorioſiſſimi chriſtiane fidei athlete, ſanctae matris eccleſiae lapidis angularis &c. Altera: Venerabili viro epiſcopo eximio. auguſtino yponenſi preſuli &c. Utraque integra eſt et poſt plures jam Sec. XV. editiones legitur in edit. Vallarſ. Opp. Hieronymi T. XI. p. 325.*

X. fol. 219. p. 2. Brevis Narratio de *Guelforum* et *Gibellinorum* origine ſumta ex *Andreae Ratiſb.* Presbyteri Chronico, paucis mutatis. Absque titulo incipit: *Conradus tercius frater bermanni ducis ſueuorum regnauit annis quindecim &c.*

XI. fol. 221. *Positio* (ita *Indiculus* praeuus) *doctoralis prolixa et bona de poteſtatibus, ut creditur M. H. de Haſſia.* Initium ejus eſt: *Utrum eccleſia amplianda poteſtate duplici continue creſcat uirtute paſſionis chriſti iheſu. &c. Finis: Ex qua concluſione ſequitur reſponſio quod queſtio quando querebatur Utrum eccleſia ampliata imperio karoli continue creſcat vi paſſionis Iheſu chriſti quantum ad queſtum eſt ſimpliciter dubia. Non inuenio *Positionem* hanc in *Catalogis Operum Henrici* noſtri, niſi ea ſit, quam *Poſſevinus* de *Poteſtate Eccleſiae* inſcribit in *Adpar. S.**

XII.

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4151

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1553

P O L E M I C I.

1554

XII. fol. 230. p. 2. Excerpta quaedam ex *Boethio*, *Cassiodoro*, *Gregorio M.* Autore *Doctrinae Rudium*, *galfredi Vine sauf Angl. Poetria*, *Ovidio*, *Henrico Samariensi* seu *Paupere*, et *Jacobo Beneventano* O. P. quem tamen versus scripsisse non memorat *Quetifus Scriptt. O. P. T. I.* p. 648.

XIII. fol. 231. fine titulo, sed ex Indice praevio: *Tractatus magistri Augustini de Ancona ord. heremit. sancti Augustini contra diuinatores et ariolos.* Ita exorditur: *Quoniam sicut tempore retroaeto ita et nunc quidam insurgunt, qui non voluntatem rationi subiciunt nec doctrine studium impendunt &c.* Directus est ad quendam *Reuerendum Patrem*, et in XXI. *Capita* tributus, quorum elenchus Praefationem excipit. Finis est: *Sed solum est ab illo omnis veritas postulanda qui est via veritas et vita, quam ipse nobis tribuat qui &c.* Sequitur subscriptio: *Explicit tractatus contra diuinatores et somniatores editus a fratre Augustino de Ancona Sacre Theologie doctore ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini, Scriptus per manus fratris Johannis de Recz (Austriae Oppido) Sacre Theologie professoris exiguus ordinis antedicti et usque ad finem deductus in Vienna. Anno domini M^o CCCC^o III^o. In die sancte Agathe virginis et martiris omnes legentes in ipso orate pro eo. Requiescat in pace Amen. Inter Augustini Triumphi de Ancona Opera tractatus hic nec a*

Gesnero, nec a *Fabricio*, nec ab ipso *Offingero* in *Bibl. sui Ordinis* citatur. Librarius noster, et ipse vir in hoc ordine celebrer, non potuit diem obire 1402. ut adferit *Offingerus* cit. p. 740. cum initio *Februarii* 1403. primum scriptionem absoluerit.

Codex noster olim ad *Augustinianos Ratisbonenses* pertinuit; unde non mirum tot in eo hujus Ordinis Scriptores contineri.

CCCCXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 555

XV. Folior. 340. 4. currente calamo scriptus hanc in praefixa membrana Notam exhibet: *Iste liber datus est pro libraria domus ex parte R. M. Petri (Tzach) de Pulka sacre Theologiae professoris eximij cujus anima feliciter requiescat in sancta pace amen.* Hujus Viri Acta pro Religione et Academia *Vienn.* maxime in Concilio *Constant.* adumbrantur in *Scriptt. Univ. Vien. Sec. I.* p. 95. Scriptorum vero Pars in hoc Codice continetur, quem percurremus. Initium facit Confutatio quaedam *Jacobi de Misa*, quae incipit: *Pietatis inexpugnabilis impiissimus oppugnator quidam pseudopredicator Magister Jacobellus nomine quoddam scriptum erroribus refertum de usu sacramenti eukaristie — Prage edidisse dicitur quod incipit: Pius ihesus diligens suos fideles &c. In quo sub pietatis specie militat possitemus contra piissimum dei cultum &c.* Duplex igitur accessio ad Controverfiam